

Supremi Armorum Caesareo-Regiorum per Regnum Bohemiae Praefecti, unius Legionis Pedestris Hungaricae, et duorum Regiminum Confinariorum Banalium Proprietarii, et Excelsae Tabulae Banalis Praesidis, Generalis Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinum praelibatorum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae celebratae Congregationis

Acta et Articuli.

(Caeteris exmissis)

Articulus Secundus.

De Benigno Rescripto quoad Clementissimam Trans-Savonarum Partium et Litoralis Hungarici reincorporationem emanato.

Communicavit Statibus et Ordinibus Regnorum horum Excellentissimus Dominus Comes Banus Benignum Vienna Austriae sub 5. Julii 1822., Nro. 8674. dimissum Rescriptum, quo mediante Sua Majestas Sacratissima cum Benignissima Declaratione illa, quod Paterno Cordi suo nihil gratius, nihil jucundius accidere queat, quam si fidelium subditorum suorum votis respondere valeat, Supremi nihilominus Regii muneris sui ratio exigat, ut in adhibendis quibusvis mediis ipsa quoque temporis momenta deligat, juxta Paternum animi sui sensum et Providentiam plurimum conferre queuntia, ut Benignae in communem felicitatem continuo et exclusive directae Intentiones effectum sortiantur, illas suis Locis factas Benignas dispositiones, ut Partes Trans-Savanae et Litoralis Hungarici, ante Gallorum invasionem ad percarum suum Hungariae Regnum spectantes, restituantur eidemque reincorporentur, Excellentissimo Domino Comiti Bano clementer insinuare dignabatur.

Cujus Benigni Rescripti tenoribus intra unanimes communis gaudii homagialisque erga Regem et Dominum Clementissimum devotionis et gratitudinis repetitas contestationes publicatis: in eorum nexu retulit Statibus et Ordinibus Sua Excellentia Banalis, quod ad exemplum aliarum Regni Jurisdictionum ex hoc incidenti solennes pro humillima gratiarum actione Deputationes de sui medio ad altissimum Thronum ablegantium devotioni et dignitati Regnorum horum conforme reputaverit, ut sensa homagialis gratitudinis et devotionis Suae Majestati Sacratissimae pro summo hoc Justitiae et Benignitatis monumento debitae per solennem ex Illustribus Regnorum horum Primoribus et Deputatis singularum Jurisdictionum componendam coram altissimo Throno declarentur — retulit denique seriem et modalitatem, qua Regnicolaris Deputatio haec Primoribus Regnorum horum et singulis Jurisdictionibus praeexposita Suae Excellentiae Banalis desideria secundantibus coadunata, post impetratum praevis Benignum indultum et obtentam medio gratiosarum Celsissimi Domini Principis Cancellarii Praesidialium sub 26. Septembris 1822., Nro. 124. exaratarum Inviatorem, fine hoc Veronam profecta, hocce homagialis devotionis et gratitudinis tributum persolverit — quanta cum altissimae Gratiae et Benignitatis testificatione per Suas Majestates Sacratissimas, quam honorifice per Summos Europae Principes Congressui intervenientes suscepta fuerit; quam Relationem Status et Ordines pro amaeno et sola-